

T. LVCRETI CARI

sponte sua multo fieri meliora videres.

Huc accedit uti quidque in sua corpora rursum 215  
dissoluat natura neque ad nilum interimat res.

nam si quid mortale (e) cunctis partibus esset,  
ex oculis res quaeque repente erepta periret.

nulla vi foret usus enim quae partibus eius  
discidium parere et nexus exsolvere posset. 220

quod nunc, aeterno quia constant semine quaeque,  
donec vis obiit quae res diverberet ictu  
aut intus penetret per inania dissoluatque,  
nullius exitium patitur natura videri.

praeterea quaecumque vetustate amovet aetas, 225  
si penitus perimit consumens materiem omnem,

unde animale genus generatim in lumina vitae  
redducit Venus, aut reductum daedala tellus  
unde alit atque auget generatim pabula praebens?

unde mare ingenui fontes externaque longe 230  
flumina suppeditant? unde aether sidera pascit?  
omnia enim debet, mortali corpore quae sunt,  
infinita aetas consumpse anteacta diesque.

quod si in eo spatium atque anteacta aetate fuere  
e quibus haec rerum consistit summa resecta, 235  
immortali sunt natura praedita certe;

haud igitur possunt ad nilum quaeque reverti.

denique res omnis eadem vis causaque vulgo  
conficeret, nisi materies aeterna teneret,  
inter se nexu minus aut magis indupedita. 240

tactus enim leti satis esset causa profecto,

quippe ubi nulla forent aeterno corpore quorum  
contextum vis deberet dissolvere quaeque.

at nunc, inter se quia nexus principiorum  
dissimiles constant aeternaque materies est, 245